



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 5. Vtrum prius naturâ assumpta sit substantia animæ, & corporis à
Verbo, quam intelligatur informari suis accidentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ad unionem inter se: tum, quia sui unionem non constituent compositum subsistens; tum, quia non habebunt complementum intrinsecum, quod illis est magis intimum, quam unio inter se. Quod confirmatur; quia sicuti natura ut possit operari, debet intelligi esse non solum existens, sed etiam subsistens, ipsaq; subsistentia intelligitur ut prior operatione, tamquam intima & necessaria conditio causae efficientis; ita anima & corpus ut possint inter se congruè uniri ad constituendum hominem, debent intelligi habere suas partiales subsistentias, vel id quod illarum vicem supplet.

2. Obie.
Sio.

Soluitur.

Dices Secundò, D. Thomas art. 4. ad 3. dicit, quòd caro priùs necessariò intelligatur uniri animae quam Verbo, quod est perfectè contra hanc sententiã. Respondeo; D. Thomas agit de unione personali, id est, qua intelligitur constitui persona in natura rationali: non tamen negat, quin unione, quã constituitur hypostasis in genere, caro priùs uniat Verbo, quam animae. Nam caro unita Verbo, antequam animeretur, non constituit personam; sed hypostasim imperfectam.

DVBIVM. III.

Virum Spiritus priùs naturã uniat Verbo, quam Anima?

11 **R**espondeo, Non priùs, sed omninò simul naturã. Ratio est, quia anima & spiritus non sunt duæ res, sed vna simplex substantia, quæ dicitur anima, quatenus est fons virium inferiorum; spiritus autem, quatenus est fons intelligentiæ.

DVBIVM IV.

Virum præter unionem quã partes sunt coniuncta Verbo, sit aliqua unio per quã immediatè ipsa Natura Humana Verbo copuletur?

12 **R**espondeo breuiter: Qui imaginantur, totum esse quiddam tertium reipã distinctum à partibus simul sumptis; etiam ponunt distinctam quandam unionem, quã ipsum per se immediatè Verbo uniat. Sed quia hoc fundamentum omninò à veritate alienum videtur, censemus etiam non esse distinctam realiter unionem totius cum Verbo, ab unionibus partium cum Verbo. Sed sicut totum constat ex partibus, nihilque est aliud quàm partes unitæ substantialiter; ita unio totius constat ex unionibus partium, tamquam partibus suis; nihilque est aliud, quàm uniones partiales unitæ: dum enim anima & corpus Christi uniebantur in resurrectione, etiam uniebantur istæ partiales uniones, & coibant in vnam integram & completam unionem, qua humanitas per se primò & immediatè uniebatur Verbo. Similiter in conceptione. Vnde patet uniones partiales aliter se habere, quando sunt separatae, aliter quando unite. Sicuti anima & corpus, aliter se habent separata, aliter iuncta; dum enim iunguntur, accipiunt modum quandam unionis, per quem coalescunt in vnam naturam: sic dum hæ uniones iunguntur inter se tamquam extrema quædam, etiam accipiunt quandam unionem & modificationem, per quam coalescunt in vnam perfectam & completam unionem hypostaticam. Et iuxta hunc modum intellige quod habet Durandus in 3. dist. 2. quæst. 2. num. 12. in assumptione non

Quomodo uniones partium sunt unio totius.

Durandus explicat.

fuisse ordinem, sed simul naturã totum assumptum & partes: Quia, inquit, nec fuit ordo ex parte assumptionis, ut qua vnica fuerit; nec ex parte assumptorum, quia id quod per se primò assumptum est, est natura humana, qua est vnica; & partes eius non sunt assumptæ, nisi quatenus inter se unite; quomodo non distinguuntur à natura humana. Hæc enim intelligenda sunt de unione & assumptione completa resultante ex unionibus partialibus; per hanc enim simul naturã unitum est totum, & partes existentes in toto. Si autem loquamur de unione generatim, ut comprehendit completam & incompletam, sic datur ordo natura inter illas.

DVBIVM V.

Virum priùs naturã assumpta sit Substantia Anima & Corporis à Verbo, quam intelligatur informari suis accidentibus?

13 **R**espondeo & Dico Primò, Verbum priùs naturã censetur uniri animæ & corpori, & toti humanitati, quàm qualitates, quæ eodem temporis momèto oriuntur vel inferuntur, informant. V.g. anima priùs naturã cõsetur unita Verbo, quàm habere potentias naturales intellectum & voluntatem, aut habitus naturales, vel supernaturales. Ratio est, quia priùs naturã res quæque intelligitur subsistens, quàm affecta proprietatibus: tum, quia subsistentia est modus substantialis magis intrinsecus, quàm proprietates & qualitates realiter distinctæ à substantiã: tum, quia subsistentia requiritur ut ipsa substantia conuenienter accipiat & sustentet proprietates: quod enim aliud sustentat & terminat, debet supponi iam terminatum, & subsistens. Hinc fit ut Verbum suppleas hanc subsistentiam, intelligatur priùs naturã unitum.

Dico Secundò, Verbum non unitur priùs quàm accidentia informant quæ tempore antecedunt, ut sunt dispositiones materiæ, si quæ tales sunt. Hinc fit ut Verbum priùs uniatur materiæ, quàm ipsa accidentia intelligatur ultimò completa, atque adeò priùs quàm dispositio sit consummata; non tamen priùs, quàm ipsa accidentia absolute infint. Aduerte tamen, Verbum uniri magis intimè quàm vllum accidens, & si naturam unionis spectes, magis insolubiliter. Quòd enim unio Verbi cum particulis materiæ dissoluatur euanescentibus accidentibus, prouenit non ex naturã unionis, quasi hæc pendeat ab accidentibus, sed ex diuinã ordinatione: nam accidentia illa tantum faciunt ad congruentiam assumptionis, non autem sunt necessaria ad naturam unionis.

13 Affirma- tur quoad accidentia que simul cum anima vel corpore oriuntur.

14 Negantur quoad accidentia tempore procedentia.

ARTICVLVS VI.

Virum Humana Natura fuerit assumpta mediante Gratia?

15 **R**espondetur; Non esse assumptam mediante gratiã habituali: neque etiam mediante gratiã unionis; si hæc accipiatur pro ipsa persona Verbi: sed est assumpta mediante gratiã Dei voluntate, non tamquam per medium, sed tamquam per causam efficientem. Notandum est; non solum gratiam habitualẽ, & ipsum

15 Gratia hic variè accipitur.